

LXXIX. ALPIS POENINA (*grand St. Bernard*).

Auctores qui titulos hos exhibent hi sunt Helvetici plures quam Itali: Christianus DE LOGES doctor Montispessulanus (*essais historiques sur le mont St. Bernard*. 1789. 8. pp. 229), cuius item schedas repperi Taurinis inter Gazzariana; LEVADE (*recueil de quelques inscr. Romaines trouvées dans le pays-de-Vaud et le Vallais ins. in mém. de la soc. des sciences physiques de Lausanne* t. III Lausanne 1790. 4. hist. p. 64—76); Laurentius Iosephus MURITH canonicus S. Bernhardi († 1816), cuius ex commentario scripto c. a. 1808 inscripto *médailles, inscriptions, statues et autres antiquités du Valais* inscriptiones excerptae sunt in *mém. de la soc. des antiquaires de France* vol. 3 (Parisiis 1821. 8) p. 502—533; Fr. Ludov. HALLER (*hist. und topographische Darstellung von Helvetien unter der römischen Herrschaft* ed. 2 Bernae 1811. 1812. 2 voll. 8); ORELLIUS in inscriptionibus Helveticis et syllogae maiori insertis (1828) et seorsum editis Turici a. 1844; AMATI (*peregrinazione al S. Bernardo Losana Friburgo Ginevra Mediolani* 1833. 8. pp. 479); GAZZERA, a quo descripti tituli in monte S. Bernhardi d. 24 Jul. 1834 extant inter schedas eius Taurinis. EGO quoque inscriptionibus Helveticis editis a. 1854 in vol. X actorum societatis Turicensis hos titulos (n. 30—60) inserui. Postremum a. 1862 eosdem PROMIS noster edidit in libro de Augusta Praetoria (v. p. 756).

Alpis Poenina, quam formam solam et tituli et melioris ordinis libri agnosunt, ubi fuerit, et luculenta Strabonis locorum descriptio (4, 6, 7 p. 205) et tabellae Iovi Poenino sacrae repertae in montis S. Bernardi maioris vertice (*Mont Joux*) extra dubium ponunt. Is deus ignoratur utrum a iugo nomen acceperit an, ut ait Livius (21, 38, 9), mons nomen traxerit ab eo quem in summo sacratum vertice Poeninum montani appellant. Etiam appellatio adhuc usitata *mont Joux* orta creditur ex *monte Iovis*. Addi potest etiam Poeninam deam inveniri (Servius ad Vergili Aen. 10, 13). A quo tempore ea via vulgo iter fieri coepit sit, parum constat. Nam per eum montem fama quidem obtinuit Boios Lingonesque in Italiam descendisse (Liv. 5, 35, 2) itemque a Varronis inde aetate vulgo credebant per eam Hannibalem advenisse (Servius l. c.; Liv. 21, 38, 6; Plinius h. n. 3, 17, 123; Ammian. 15, 10, 9); at haec opinio falsa est orta, ut tot alii errores, ex ineptis grammaticorum veriloquii, illa ex fabulis repetita. Ne hoc quidem constat Polybium inter vias quibus ex Gallia in Italiam iter fiat hanc numerasse; nam quattuor viis, de quibus Strabo refert 4, 6, 12 p. 208 ad Polybium provocans, quamquam ubi (ad Oculum) eum locum expendimus, probabile esse diximus Alpem Poeninam comprehendendi, tamen relatio ita perturbata est, ut tuto ei insisti nequeat. Certum testimonium nullum suppetit*) antiquius Caesare, quem notum

*) Promis *Aosta* p. 121 quod scribit L. Cassium Longinum consulem a. u. c. 647 per eam viam adversus Helvetios profectum esse, testimoniis auctorum nequaquam confirmatur; nam Tigurini Helvetiorum pagus, quibuscum rem gessit, ab Helvetiis secesserant (Liv. ep. 65), Cassius autem ad Oceanum usque eos persecutus (Oros. 5. 15) cum eis conflixit in finibus Nitobrogum (Liv. ep. 65) inter Garumnam et Ligerim.

est a. 697 in vallem Rhodani superiorem misisse Ser. Galbam cum parte exercitus, *quod iter per Alpes, quo magno cum periculo magnisque cum portoriis mercatores ire consuerant, patescere volebat* (b. G. 3, 1). Nihilo minus ne Strabonis quidem tempore vel certe tempore auctoris eius via vehiculis apta fuit (4, 6, 7 p. 205: ή μὲν [όδος] διὰ τοῦ Ποινίου λεγομένου φέρεται ζένγεσσιν οὐ βατὴ κατὰ τὰ ἄκρα τῶν Ἀλπεων et rursus 4, 6, 8: ή διὰ Σαλασσῶν διπτή ἐστιν, ή μὲν ἀμαξεύεσθαι δυναμένη διὰ μήκους πλεύοντος ή διὰ Κευτρώνων, ή δὲ ὁρθά καὶ στενή, σύντομος δέ, ή διὰ τοῦ Ποινίου). Quocum convenit, quod Augusta colonia quo primum condita est tempore non habuit nisi duas portas ad orientem Eporediam versus alteram, alteram ad occidentem ducentem ad Alpem Graiam, nullam autem ad septentrionem, quae responderet viae montis Poenini (Promis p. 130). Posteriore demum tempore et rerum scriptores (Tacitus hist. 1, 61. 87. 4, 68) et itineraria et ipsae viae reliquiae (nam in montis adscensu prope lacum adhuc cerni viam rotabilem ex viva rupe excisam largam m. 3. 66, longam m. c. 60 observat Promis *Aosta* p. 123) ostendunt eam Alpem aequem atque Graiam exercitibus patuisse; quod coniunctum est sine dubio cum institutione castrorum ad Rhenum et ordinatione provinciarum Germaniarum. — Via in itinerariis describitur sic:

PEUTINGERANUM:

Augusta Praetoria	ANTONINIANUM p. 351:
XXV	Augusta Praetoria
Eudracinum	XXV
XIII	
in summo Pennino	Summo Pennino
XXV	XXV
Octoduro	Octoduro

ANTONINIANUM p. 351:

Augusta Praetoria	XXV
Eudracinum	
XIII	
in summo Pennino	Summo Pennino
XXV	XXV
Octoduro	Octoduro

Eudracinum optimi auctores collocant ibi ubi nunc est vicus S. Remy ad principium adscensus montis ipsius. Tituli ibi nulli adhuc prodierunt; reperti sunt quidam ad vicum Aostae propiorem Roisan. — Quae sequitur statio ad summum Poeninum, eam constat fuisse in plano (*le Plan de Joux*) inter lacum eum, ex quo oritur Duria S. Bernardi (*la Doire du Grand S. Bernard*), et hospitium quod nunc est interiecto; ibi enim effossae sunt et aedificiorum reliquiae conspicuae, scilicet templi eius cuius diserte meminit n. 6876 et inter alia aetatis Romanae indicia tabellae votivae aereae eae quae sequuntur (Promis *Aosta* p. 123). Ipsum locum pertica Octodorensium, non Augustanorum comprehensum fuisse Promis existimat (p. 124), ut hodie non Italorum est, sed Helvetiorum. Utut est, per Poeninum montem in Italiam profecti sunt maxime quin venirent ex Galliae parte septentrionali Germanisque Raetiaque; nam qui testibus tabellis votum pro itu solverunt in Poenino sunt homines Sequanus n. 6887, Ambianensis n. 6889, Agrippinensis n. 6888, milites legionum ad Rhenum IIII Macedonicae n. 6879, VI victricis n. 6881, XIII geminæ n. 6872 (cf. n. 6870), XXII primigeniae n. 6889, XXX Ulpiae n. 6890, item legionis Raeticae III Italicae n. 6869. Accedunt milites cohortium VIII praetoriae n. 6886, V Asturum n. 6874, XXX voluntariorum n. 6891.

6861 Roisan RICOLVI; aux degrés du grand autel de la parochiale de S. Victor MOCHET. Hodie Aostae in domo Gerbore.

D M
S · EMILIO FORTV
NATO FILI PATRI BEN
MERENTI ET CAVIV
5 FIRMINAE MATRI Be
MERENTI ET II//II/
O FIRMINO

Contuli. Mochet f. 17' (inde per Caissottum Mur. 1249, 8); Ricolvi ms.; Gazzera ms.; Aubert Aoste p. 188 et rev. arch. n. s. 6 (1862), 98; Promis Aosta p. 50.

4 sic lapis, visum est fuisse CAVRIAЕ; CLAVDIAЕ Mochet Promis, CLAVD/// Ric. non recte. — 6 fuit fortasse ET EMILI; ET CLAVDI Mochet male.